



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-558757-p0001-9

DFG



14463.

23.

1663  
2.  
1+  
M

DISPUTATIO JURIDICA  
*DE*  
**NUPTIIS,**

*Earumque requisitis necessariis*

*Quam,*

DIVINI NUMINIS AUSPICIO  
*P RÆS I D E*

Nobilissimo, Amplissimo, & Consultissimo  
*VIRO*

**DN. ARNOLDO,  
MAURICIO HOLTERMANNO**

J. U. D. Ejusdemque, ut & Historiarum, & Eloquen-  
tiae, PRO FESSORE  
publico

Dn. Preceptore, Patrono, ac Fautore suo semper &  
semper devenerando,

*Publicæ disquisitioni exponit*

**JOHAN HEINRICH Goldschläger**

MINDA WESTPHALUS

Auth: & Resp.

Ad diem Maij loco horisq; consuetis




*MARBVRGI CATTORVM*

---

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.  
Ann. M. DC. LXIII.





V I R I S

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, ac Prudentissimo.*

**DN. DANIELI, ERNESTO à DEREN**

**THAL SERENISS. ELECTORIS BRANDENB.**  
in Princip. Mindensi Consiliario dignissimo, Patrono, Promotori, ac cognato suo semper & semper colendo

**DN. JOHANNI HEINRICO BECKER**

J. U. D. Praclarissimo, ac in repub. Hannoverana  
practico famigeratissimo, Mæcenati, Patrono, ac Avunculo suo  
devotissime colendo.

**DN. HEINRICO GOLDSCHLÄGER**

Reip. Patriæ quondam senatori gravissimo, Parenti suo  
eternis obsequiis prosequendo.

In

Publicam debita pridem observantia testificatio-  
nem, & prolixiorem sui, studiorumq; suo-  
rum commendationem

Hocce Exercitium Academicum di-  
cat, offert, consecrat,

JOH. HEIN. Goldschläger.



## F. N. S. S. T.

### THESIS I.

**I**n ter societas omnium primam & simplicissimam esse illam, quæ inter virum & uxorem coaluit, nemo sana ratione utens negabit, sive enim illa **matrimonium**, sive **Nuptia** sive **coniugium** dicitur perinde hoc esse statuimus.

### II.

Dicuntur autem **Nuptiae** inde, quod nova nupta, pudoris ergo olim te obnuberet, indicans verecundiam nuptiis praætere debere; **Matrimonium** vero à matris nomine dictum vult. *Gell. l. 14. c. 6.* non quidem jam adepto, sed spe adipiscendi, cum fœmina ob id nubere debeat, ut mater fiat; alii inde putant dictum, quod mater in prole gignendâ, fovenda, & sustentanda, patiores sustineat partes, infans enim matri ante partum onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus est. **Conjugium** quoq; à conjungendo recte dici, extra dubium erit, conjunguntur enim hæ duæ personæ, ad onera matrimonii communi jugo portanda: cum enim mulier viro legitime conjungitur, conjugium est. Hinc alii differentiam inter Nuptias & Matrimonium inferre conantur, putantes,

A 2

*Nuptias*

*Nuptias tantum esse celebritatem matrimonii, matrimonium vero conventionem illam, quæ solo consensu perficitur,  
Myns. ad inst. de patr. potest.*

III.

Hanc matrimonii arctissimam consociationem, quæ Natura, Lege, vel Canone non prohibete contrahitur, nobis Imperator in princ. Inst. de patr. potest: definivit. Quod sit Viri ac Mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. Quibus innuere voluit Imperator noster, unam & non plures uxores ducendas esse Deus quoque ipse primorum parentum exemplo idem hoc nobis significare voluit; Et licet Lamech primus ab hoc Dei ordine discesserit Gen. 4. & post diluvium, aliquot primæ institutioni contraria exempla Deus toleraverit; Filius tamen Dei nos ad primam illam institutionem retrahens, dixit, Matt. 19. ab initio non erat sic, addendo dictum illud primum, erunt duo in carne una. Non itaque de horum qui post diluvium vixerunt excusatione solliciti erimus, nec volumus, nec possumus, hanc polygamiam defendere, cum non exemplis, sed legibus judicandum sit. I. nemo C. de sent.

IV.

Polygamiam jure quoque civili prohibitam esse cernimus, dicens enim plures uxores non tantum fit infamis l. 1. ff. de his qui not. infam. sed etiam pæna stupri punitur, l. cum qui duas C. de adult. quæ est, ut honestiores confiscatione dimidiat partis bonorum puniantur, humiliores vero cum corporis castigatione relegentur §. 4. Inst. de publ. jud. Hodie vero dicens plures uxores ex constitutione CAR. V. capite plecitur. Dicitur dein in definitione Viri & Mulieris, ad ostendendum omnem

omnem reliquam conjunctionem , vel sub una specie, vel sub diversa , esse detestabilem , levit : cap. 20. cum & sodomitum peccatum, sub poena capitum prohibitum sit, l. cum vir C. de adulto : Hodie vero ex laudabili constitutione C A R. V. igne concremari soleant & debeant.

V.

Coniunctio, cuius Imperium definit. nupt. dicto loco mentionem facit, de animorum potius quam de corporum coniunctione intelligenda est, scimus enim ex l. Nuptias 30 ff. de R. I. consensum, non vero concubitum facere Nuptias & l. cum hic status 32. §. simulier ff. de donat. inter Vir. & Vxorem & l. cui fuerit 15. ff. de cond. & demonst. Consensus in qua facit Nuptias, qui in praesens tempus confertur, nam in futurum collatus non facit Nuptias, sed sponsalia l. i. ff. de spons. Intelligendum autem hoc erit de perfectione prima, quae consistit in ipsa forma, ex quares sortitur speciem, & est indivisibilis animorum coniunctio. Non autem de perfectione secunda, quae residet in operatione rei, per quam res finem suum attingit, & in matrimonio est prolis generatio, quam perfectionem JCti vocant consummationem suth. diss. 2. Aph. 13.

VI.

Parum autem refert praesentes an sibi desponsentur, an absentes, cum etiam absens absenti deponatur possit l. 4. l. 11. ff. de spons. Eadem quoque ratione parum refert in nuptiis contrahendis, coramne an vero per inter nuncium vel epistolam initæ fuerint l. fin. ff. de spons. Neque etiam ad earum perfectionem pertinet deploratio virginitatis, sed pactio conjugalis, & ut eleganter JCtus Ulpianus ait, non coitus matrimoni.

monium facit, sed maritalis affectio, l. cum hic statut 32. §. si mulier sup. de don. inter Vir & Vx: Adeo autem hoc matrimonium solo consensu contractum firmum & validum est, ut nec Summus Pontifex illud queat dissolvere: Vir enim & mulier conjuges erunt, etiam si corpore nunquam conveniant; Et sponsa debet secundum honestatem lugere mortem sponsi tanquam viri sui l. 2. C. de secund. Nupt. c. si quis 27. q. 2. ideoq; sponsam fratris sui quis ducere prohibetur, quia sponsa sit consensu animi vera uxor Mys. ad inst. de pat. pot. in prin.

## VII.

Porro Imperator ait matrimonium esse *individuam vitæ consuetudinem*; Quibus verbis non tantum domesticam societatem & conversationem significari vinnius vult, sed etiam quandam communionem, & indivisum rerum omnium inter conjuges usum fundatamque habet hanc suam sententiam in l. i. ff. de ritu Nupt. Dotis tamen dominium durante matrimonio penes virum est, non vero uxorem, cuius causa dicitur esse perpetua, quia hac mente datur, ut perpetuo apud accipientem maneat, l. i. ff. de jur. dot. Nos scimus illos, qui matrimonium contrahunt, tales habere animum, ut perpetuo convivere velint, & licet eorum animi mutarentur, tamen non nisi lege censente resilire possint. Accedit quod Deus genus humanum non voluerit ut pecudes vagari commixtionibus, sed marem & fæminam certo ordine conjungi, & id circa ab initio statuit, ne dissolverentur conjugia, inquit ens, *Erunt duo in carne una*: i.e. inseparabiliter juncti, sicuti Dominus ipse in hanc sententiam hoc dictum citat, Matth. 19. Sed postea laxata veteri disciplina, divortia introducta, quæ cum

eum jam ante mosēti usitata essent ipse illa etiam permisit ;  
*Deut. 24.* & quidem propter duritiem cordis judeorum.

### VIII.

Non tamen temere, & pro lubitu partis unius Divortia fieri debent, sed secundum leges juris Divini, quia quod Deus conjunxit, id homo ne separet scilicet, violenter, sine lege, fine ratione, non enim homo separat, quos poena damnat, quos reatus accusat, quos maleficium coaretat, *Schneid. tract. de nupt. part. 4. n. 4. & 5.* Sed hoc hic per sequi nobis non est animus, ad suum usque ad locum illud rejicientes, & ex instituti ratione, paucis de causis matrimonii, de personis ad id habilibus, deq; consensu ejusdem legitimo, & denique de ejus dissolutione, primo, bono cum Deo agemus.

### IX.

Causa prima efficientis nulla alia erit, quam Deus ipse, qui jam à primo mundi diluculo matrimonium instituit, primus que omnium Paranyphus fuit, & maris ac fœminæ animos honesto ac indissolubili vinculo arctissime colligavit. Nec defuit postea amor ejusdem erga conjugium, sed & extra paradysum generis humani multiplicandi causa continuatus, *Gen. c. 4. 17. & c. 9. & in N. T. tam verbo, quam ipsem facto confirmatus Matt. 5. v. 31. 32. & c. 19. 4. Job. 2. v. 1.* Variis quoq; laudibus matrimonium in S. S. exornatum videmus *Psal. 127. 3. prov. 18. v. 22. Malach. 2. v. 14. Eccles. 25. 2. Epist 1. ad Cor. 7. v. 2.* Causam secundam efficientem matrimonii cernimus, quando naturam tam hominum quam bestiarum extremo saltu tangimus. Naturæ enim brutorum non minus ac hominum conjungendi hunc appetitum inesse *Ci-*

*cero*



*aerolib. i. offic. c. i.* bene expressit his verbis. *Commune autem est omnium animantium conjunctionis appetitus, procreandi causa, & cura quedam eorum quæ procreata sunt, & in sequent. Natura præcipuum quendam amorem ingeneravit in eos quæ procreata sunt.* Bruta ergo non minus ac homines sobolem procreando genus suum conservare student, ita tamen, ut conjunctio illa quæ brutis natura competit, homini non sit licita, nisi sub contemplatione matrimonii, *i.e. l. 3. ff. de just. & jure Menoch. l. 2. & arbit. jud. cap. 4. 20. num 56.* Quinimo inter bruta non nullas species reperire licet, quæ vel hominum exemplo lege conjugii vivere, & ab incesta conjunctione abhorrente videntur, *juxta illud senecæ.*

*Fera quoq; ipsæ veneris evitare ne vos,  
Generisq; leges inscius servat pudor.*

Veluti de Camelis refertur quod palam inter se se numer quam misceantur nec cum matre vel sorore unquam congregantur, & inter Elephantos adulteria esse incognita statuit. *Plini. nat. Inst. lib. 142. Elianus lib. 9. c. 47.*

X.

Causa matrimonii materialis masculus & foemina est. *Formalis* vero erit conjunctio legitima, quævis enim conjunctio matrimonium non facit, verum ea demum, quæ perpetuæ vietæ consuetudinis habendæ animo fit, secundum leges, normam humanas, quam naturales & Divinas, id est ea quæ fit ex voluntate Dei, proeunte fide ac pia præcognitione, tum consilio ac consensu parentum &c.

XI.

Fines matrimonio præcipue tres assignantur. 1. Gloria Dei. 2. Ut mederi peccati, & refrenare possimus honestas enim

Honestas enim conjugii, tollit ruinam turpitudinis, & concupiscentiam pronam. Unde Apost. ad Corint. ait. propter fornicationem, unusquisque habeat propriam suam uxorem, & unaquam suum virum. 3. Ex propria & una hac uxore querere prolem, eam amare & educare sustentare, tu ad Dei gloriam, ut ejus regnum augeatur, tum ad utilitatem Reip. & ut Iustus ait l. i. ff. de Sol. matri, ad replendam liberis hominibus civitatem, ut sint idonei, qui possint adhiberi ad gubernationem Reip. & politiarum.

## XII.

De personis aucturi, inter quos justae nuptiae constare posse. Sunt; Primo requiritur, ut sint *Cives Romani*, Inst. de nupt. in princ. Pro civibus autem Romanis habentur omnes ii qui in orbe Romano degunt l. 17. ff. de stat. hom. Secundo, ut personae hæc sint *justæ*, legibusque definitæ ætatis; per miserunt autem ex dem Romanæ leges viris anno 14. inire matrimonium. Fœminis anno 12. ita enim Romanæ leges pubertatem demetiere, licet alibi desiderent alios annos ut in l. arrogato 40. §. 1. ff. de adopt. Alii distinguunt inter pubertatem & matrimonio convenientem ætatem; Hic adscribunt in maribus annum 37. in fœminis annum 18. Cell. in pol. l. 1. c. 2. §. 19. quam tamen sententiam ex Arist. l. 7. pol. c. 16. de promptam putamus; nec ab hoc longe diversus Plato, §. de Rep. & 6. annum 30. masculis, 20. fœminis tribuens. Nos definitionem juris civilis sequemur, quia post eam ætatem sexuum qualitates definiunt, & incentivanaturæ commovetur. Si tamen & ante jure Canonico, præscriptam ætatem ad matrimonium aliquis adoneus existat recte nihilominus contrahit, quoniam canonæ pubertatem non ex annorum numero, sed potestate co-

B

cundi

eundi judicandum statuunt. Sed hæc ad consequentiam non  
trahenda, cum jura constitui oporteat super his, quæ ut plu-  
rimum fiunt. l. 3. l. 4. 5. & 6. ff. de L. L.

### XIII.

Prohibentur etiam matrimonium contrahere non nulli ob defectum corporis, puta si quis morbo spongioso, hominem ad omnia negotia inhabilem reddente, & incurabili labore. Hæc enim matrimonia inter personas morbis incurabilibus & maxime hereditariis affectas, & si non omnem corporis usum tollant attamen prohiberi debere ipsius etiam Reip. inter est, ne partibus inutilibus repleatur, leproso tamen ius canonicum permitit contrahere matrimonium, si nimirum invenerit, quæ sibi velit nubere; c. 2. de conj. lepr. Impotentia quoque coeundi tam ex parte viri quam foeminæ matrimonio impedimento est; c. 2. de frig. & malefic. Sicuti enim pueri qui propter tenellam ætatem coire nequit, ad matrimonium aptus non est, sic etiam talis impotens: Non vero hi impotentes à matrimonio tantum arcentur, sed inter eos etiam contractum dissolvitur l. 10. C. de repud.

### XIV.

Tertio nonnullæ personæ à Nuptiis arecentur ob defectum animi, ut sunt furiosi id est, qui cum rabie & evidenti furore feruntur, hi enim nuptias contrahere prohibentur, contractas tamen retinent, propter furem enim supervenientem Nuptiae non solvuntur. l. 8. ff. de his qui sui volunt alieni juris sunt l. 16. §. 1. ff. de rit. Nupt. l. furor 8. ff. de spons. can. neq; furiosus 32. q. 7. His assimilantur mente capti, qui furiosis non adeo dissimiles sunt, sed furore tantum carent, l. nec mandante 8. ff. de

tut.



*& curat. dat. ab his. His addimus nimia ebrietate obrutos, ut propter eam non sciant quid agant, tum enim tam sponsalia quam nuptiae nullius sunt momenti c. unusquisq; 8. v. si tamen periurium.*

XV.

Quarto quædam personæ Nuptias contrahere prohibentur ratione cognitionis naturalis. Quare inter cognatos in linea recta conjugia omnijure sunt prohibita, neque inter eos qui parentum liberorumve loco sunt ullo modo matrimonia consistere possunt in infinitum; Naturam quoque prætali coitu erubescere quasi cernimus, dum bruta non nulla admirando naturæ instinctu, tales coitum incestum detestantur, *Nov. 12. c. 1. Plin. nat. hist. d. loco.* Jure quoque divino huncce coitum prohibitum legimus *Levit. 18. v. 7. Ep. ad Eph. 5. v. 31.* Nec minus jure civili §. ergo non omnes *Inst. de Nupt. l. nupt. 53. & l fin. ff. de rit. Nupt.* In linea etiam transversa, ut nimis inter fratres & sorores Nuptiae prohibitæ sunt, §. 2. *Inst. de Nupt.* Sive enim utrinq; hoc est fratres germani sive ex altero tantum parente id est consanguinei, vel uterini sint, nihil interest, *Levit. 18. v. 19.* item *cap. 20. v. 17.* ubi propter tam nefariam copulam morti etiam adjudicantur *Deut. cap. 27. vers. 22.*

XVI.

Reliqui vero cognati lineæ transversæ ultra fratres & sorores, & qui in ista linea collocantur, de jure divino ac civili nuptias contrahere possunt l. 4. *Inst. b. 1.* Quamvis canones nulla habita ratione olim hancce prohibitionem ad sextum usque gradum inclusive extenserint. c. nulli 19, caus. 35. q. 2.

B 2

hodie

hodie vero ad quartum inclusive c. pen. & ult. X. de consangu.  
Gradus autem numerat hoc modò. In linea collaterali æquali  
hoc est si cognati, de quorum cognatione qualiter distat à  
communi stipite, quo gradu alteruter distat à  
communi stipite, eo gradu distant inter se. In linea vero in-  
equali cum alter propior, alter longior à communi stipite ab-  
est, quo gradu remotior à communi stipite abest, eo gradu  
distant inter se c. ult, de consag. Quæ quoq; computatio in-  
causis matrimonialibus non minus, ac civilis in hæreditatibus  
& tutelis deferendis observatur. Affinitatis quoque venera-  
zione à quorundam nuptiis abstinentia esse, & recta ratio &  
leges suadent; Ut videlicet privignam, nurum, filiam fratris  
vel sororis meæ, uxorem filii fratris aut sororis, quia mihi filia  
rum loco sunt, novercam, socrum, uxoris amitam, materte-  
ram, & patrui, atq; avunculi sororem, quia matris locum abti-  
tent, ducere prohibeor, §. 6. & 7. In s. b. t. l. nemini 17. c. eodem  
t. non facile 4. §. 7 ff. de grad. Inter comprivignos vero nuptiæ  
contrahi possunt, et si fratrem, ex novo parentum matrimonio  
habeant, l. 34. §. pen. ff. de rit. nupt. quia nec jure sanguinis, nec  
affinitatis se invicem contingunt Schot: Exam. jurid. part. 4.  
lib. 23.

## XVII

Hactenus de personis habilibus ad matrimonii contrac-  
tionem, sequitur jam aliud requisitum, consensus tam ipso-  
rum contrahentium quam parentum, sine quo nuptiæ ritè  
contrahinequeunt, quod & Imperator expresse docet, in  
princip. Int. b. t.. Nec minus jure divino quam civili requiri-  
tur Gen. 24. v. 57. & 58. l. 2. ff. de rit. nupt. l. cum hic status 32.  
§. si mulier ff. de donat. inter Vir & Vxor: l. cui fuerit 15. ff. de  
cond. & de monst. & jure Canon. c. sufficiat, c. sic quippe, c. beata  
maria

maria caus. 27. quest. 2. ita ut sine eo non subsistat nec subsistero posse  
sit. Si enim sine consensu nuptiarum subsisterent aut subsistere  
possent; sola copula carnalis, aut cohabitatio induceret nup-  
tias, sed falsum prius, ergo & posterius: textus enim mani-  
festus est in supradicta l. 30. ff. de R. I. ubi Ulpianus respondet  
Nuptias non concubitus sed consensus facit, cui etiam congruit  
ejusdem Ulpiani responsum l. cum hic status 32. §. si mulier ff. de  
don. inter Vir & Vxor c. tua nos 26. & ibi Felinus & Panorm. X.  
de spons. Harp. ad rub. Inst de nupt. num. 38. Philip. Matth. ad d.  
l. 30. ff. de R. K. Wesenb. in π. ff. derit. nupt. num. 3. ver: cum au-  
tem ubi ait cohabitatione & præscriptione aliqua conjugium in-  
duci non posse, Paulus Tarnov. de conjugio l. i. c. 77. Paulus Cy-  
præus de jure connub. part. 1. cap. 4. §. 13. num. 10. ubi refert, si  
mulier viro concubitum petenti, cundem neget, nisi ipsam  
ducatur, is autem tacens eam comprimat, quod tum ob defe-  
ctum mutui consensus non teneatur eamducere. Non enim  
ad exprimendum mutuum consensum sufficit, internæmen-  
tis cogitatio, sed accedere debet externa mentis declaratio  
Cell. poll. lib. 1 cap. 2. §. 7.

## XVIII.

Cum vero non solus contrahentium consensus per-  
ciat matrimonium, sed opus quoque sit consensu parentum,  
videndum etiam arbitror, quorum consensus præcedere de-  
beat, ait enim Schneid. in Tract. de nupt. num. 18. Allegiti  
mum matrimonium, magis principaliter requiri consen-  
sum ipsorum contrahentium, qui est de substantia, & veluti  
causa efficiens matrimonii, & I. Kittzelius in syn. matrim. c. 4.  
Theor. 2. ubi ait, consensum ipsorum contrahentiū, fundamen-  
tum & basin quasi nuptiarum esse, quod & appareat ex l. 2. &

19. de ritu. Nupt. l. II. & 14. de spons. l. neg, 14. l. in coniunctione,  
C. de nuptiis. Tacitum quoque parentum consensum suffi-  
re, Bocerus docet adducens l. 7. ff. de spons. C. ut si proponis. C. de  
Nupt. Ad id inter absentes per Epistolam vel inter nuncium  
tam Nuptiæ, quam sponsalia, contrahi possunt; Hanc quoq;  
comparationem, sponsaliorum Ic. & Nuptiarum eleganter  
adducit Bronch ad l. 30. de R. I. ut & Wesenb. ad Tit. de spons.  
num. 4.

### XIX.

Cum autem non satis dixisse sufficiat an aliquid sit tale,  
sed addi oporteat qua ratione magis vel minus tale sit, operæ  
quoque premium autumo necessitatem consensus Parentum  
ex ipsa iuris ratione, secundum propositum deducere. Pri-  
mum enim constat justam Naturale, & Civile, ut & Divi-  
num, & Canonicum, necessitatem consensus Parentum re-  
quirere. Leges enim naturæ quam maxime suadent ut liberi  
Parentibus obediant, eosque honore debito afficiant, sicut  
& I Consultus ait: l. liberto 9. ff. de Obs. par. & patr. & l. 2. ff. de  
iust. & iur. si enim liberi Parentibus reverentiam & obsequi-  
um in omnibus debent, certe quoque debent in hoc quod  
ad gentem totam pertinet, nisi tamen expresse iniqua sit  
parentum voluntas vid. H. G. de iure B. ac P. lib. 2. cap. 5. nro-  
mero 10.

### XX.

Civilis quoque ratio id ipsum non tantum suadet, sed et-  
iam jubet, voluntatem enim filii patria potestas tam firmiter  
cohibet, ut sine ea nil quicquam firmiter posse velle filius cen-  
seatur, l. velle. 4. ff. de reg. iur. Corasi: 1. misc. 17. Joachim. beust.  
de iur. connub. part. 2. de matr. c. 45. Bas. Monde: matrimon. part. 3.  
c. 2. Paulus Cypraus de iure connub. part. 1. de spons. c. 6. §. 1. & 2.  
Harpr.

Harpr. ad princ. Inst. de Nupt. n. 23. & seq. & I Ctus ait matrimonium  
subsistere non posse, nisi consentiant omnes, id est tum hi, qui con-  
tracturi sunt tum Parentes in quorum sunt potestate, l. 2. & l.  
Nupt. 18. ff. derit. Nupt. l. vidue 18. & l. in coniunctione 2. & l. nec  
filium 12. C. de Nupt. Et est catus elegans in l. si nepos 9. ff. de ritu  
nupt. ubi I Ctus talem proponit facti speciem si nepos Avo fu-  
rente in cuius est potestate, tam ipse quam pater eius, velit u-  
xorem ducere, numquid hoc ei liceat in consulo patre suo, &  
dubitatem movere videbatur, cum pater & q; in potestate  
avisit ac nepos, & qui subjectus est alieno juri alterum in po-  
testate habere nequit, l. nam civium 4. cum l. sequenti ff. de his  
qui sui vel alieni iuris sunt, l. pronunciatio 195. S. 2. de verb. Sign.  
hac tamen ratione non obstante decidit ibi Imp. patris con-  
sensum esse necessarium, & quidem addit voculam *omnimodo*  
quæ singularem hujus rei Emphasim declarat.

### XXXI.

Neq; interest, utrum parentes illi, honesti, frugi & boni  
sint, an vero, improbi, pauperes vel prodigi tum quod pravis  
dominis ac parentibus in rebus licitis de jure Divino & q; pare-  
re teneamus ac honestis & bonis, Epist. ad Coll. c. 3. v. 20. tum  
quod improbitas, paupertas, & prodigalitas, no sint modit tol-  
lenda patriæ potestatis, quæ in dubio adhuc perseverata præ-  
sumitur, l. sancimus C. de test. & l. pen. C. de ap. Necessario er-  
go requiritur patris voluntas ac autoritas, ut si ea de fuerit, a-  
etius sit omnino nullus, cum omissione solennitatis, quemad-  
modum, & formæ quæ pertinent ad rei substantiam, & inter-  
venire debent ab initio vitiant actum, Dd. in l. universa, C. de  
precibus & I Ctus in l. paulus ff. de stat. hom. expresse ait eum qui  
genitus est ex ea coniunctione, quæ facta est parentibus  
aut insciis aut invitis, non videri justum filium, argumentatur  
enim

enim à causa ad effectum proprium, hoc modo: matrimonium iustum non est, quod insciis & invitis parentibus contractum est, ergo proles ex ea coniunctione suscepta, non est legitima, valet enim argumentatio à propriis causis ad affecta. Varias quoque pœnas in eos qui sine hoc consensu contrahunt constitutas de jure civili videmus: Primo enim ita coeuntes nec vir nec uxor esse censemur, §. 12. Inst. de nupt. l. si uxor. 13. in prin. & §. 1. ff. ad L. jul. de adult. Secundo dos & donatio propter nuptias invalidantur, dict. §. 12. inst. de Nupt. l. cum hic status 32. §. ult. ff. de donat. inter Vir. & Vxor. l. manifestum 8. C. de nupt. l. 1. C. de incest. nupt. Tertio liberi inde nati nec legitimi, nec in potestate patris nascuntur, sed sputiis & vulgo conceptis assimulantur d. §. 12. Inst. de nupt. l. paulus respondit 1. ff. de stat. hom item Wesenb. Bald. Harpr. & Dd. communier ommes ad d. §. 12. Basilius Mon. de matr. part. I. c. 2.

## XXII.

Jus quoque Divinum gravissime requirit, ut parentes elocent liberos suos, non enim tantum in veteri Testamento hujus rei exempla nobis passim obvia procedunt, sed nec novum iisdem tam exemplis quam præceptis caret; sic enim Deus ipse apud Jeremiam c. 29. v. 6. præcipit date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris & Paul. 1. ad Cor. 7. v. 38. Qui filiam suam elocat bene facit, subindicans voluntatem & consensum parentum non esse omittendum, imo jus & autoritatem contrahendi, non esse penes liberos solos, quod & exempla veteris Ecclesiaz copiosè testantur.

## XXIII.

Denique jus non solum naturale, divinum & civile necessario autoritatem & consensum parentum requirunt, sed etiam jus Canonicum: Nam ita statuit canon cum ergo dicitur

**C**itetur Paterno arbitrio fæmina & jungantur Viris , & Evaristus  
Papa hunc in modum scribit. Alter legitimum conjugium non esse  
missi ab his qui super fæminam dominationem habere videntur , &  
in quibus custoditur Vxor petatur & à Parentibus & propin-  
quioribus sponsetur : cui etiam respondet rescriptum Papæ  
Nicolai in cap. nostrates 3. d. caus. 30. quast. 5. ingemi natum à  
Leone Papa in c. qualis 4. & in c. non omnis 12. & D. Ambr. in cap.  
Honorantr 13. c. mul. 14. in fin. & c. merito 15. caus. 32. q. 4. Pro  
cujus sententiæ confirmatione, jure videlicet Canonicō ve-  
teri maxime consensum parentum ad nuptias requiri, etiam  
facit rescriptum Papæ Urbani in c. si verum 1. caus. 31. q. 2. &  
sextus in cap. nullus 6 & cap. tua 8 caus. 36. q. 2. vide deniglate  
& solide Cothm pag. 1. cons. 1. num. 1. & seqq.

**XXIV.**

Non ergo admittendi illi, statuentes consensum paren-  
tum ad nuptias liberorum de honestate tantum, non vero de  
necessitate requiri, eoq; etiam non interposito, matrimoniu-  
ratum & liberos legitimos esse. Quod nonnulli adeo verum  
esse autumnat, ut quælibet etiam statuta, quibus cavetur, ne li-  
beri sine consensu parentum matrimonia ineant, irrita esse  
statuant, utpote libertatem matrimonii impedientia, Menoch.  
l. 2. arb. jud. cent. 5. cas. 453. nro. Nec magnopere nos movere  
debent constitutiones quædam Pontificiæ quæ contrarium  
statuere censentur ut c. sufficit 27. q. 2. & c. hoc sanctum. 32. q. 2.  
& c. pen. ext. de rape. c. cum apud ubi Panorm. videlicet solum  
consensum eorum qui contrahunt esse necessarium, etiam si  
parentes reclament. Sed pauculæ hæ constitutiones, vel alii-  
ter intelligendæ, ne parentum consensum excludant, vel tan-  
tam alias ceremonias & solennitates, quæ olim obser-  
wati solebant nec pertinent ad matrimonii substantiam.

**C**

**CCCLVII**

comprehendunt : Sicut dicit *glossa in d.c. sufficiat*, & recte, si quidem canon ille mentionem facit legum, quæ certe parentū consensum non excludunt, sicut supra innuimus : Vt habent locum in his tantum, qui sui juris sunt, sed hanc differentiā jus neque Naturale, neque divinum agnoscit, sed illud diserte statuit, & quidem generatim à libertis requirit obedientiam erga parentes *Exod. 20. v. 12. Eph. 6. v. 1. 2. & 3. Coloss. 3. v. 10.*

XXV.

Si vero commodam interpretationem non recipiant, ilias omnino ex sententia *Basilii Moneri part. 3 c. 3. rejiciendas arbitror;* Tum quia sunt turpes & Reip: pernicioſæ, præbent occasionem peccandi & pugnare videntur cum universo jure nec absque peccato servari possunt, *Bart. in l. omnes populi, coll. 8. num. 22. ff. de just. & jur.* ideoque non habent vim legum, sed ipso jure sunt nullius omnino momenti. Tum quia haec pauculæ constitutiones recentiorum pontificum, privato consilio factæ sunt ab Impuris Romani Antichristi mancipiis, nec possunt nec debent abrogare tota, Naturalia, divina, gentium, & civilia § II. *Inst. de iur. Nat. Gent. & Civil.* Accedit quod matrimonium res sit mere politica, & non sacramentum ut canonistæ somniant, nihil proinde in hac causa contra jus civile statuere possunt, quod nos obliget, ut qui non sumus ejus jurisdictioni subjecti *l. fin. ff. de iurisdict.* & Pontifex ipse dicit, sententiam à non judice dictam, nihil obtainere firmitatis, *c. imprimis, in fin. 2. quest. 1.* Imo etiam ordinarii judicis iniquo vel in honesto præcepto non esse obediendum docet *l. sicum dies 21. §. sed si in aliquem II. ff. de recept. qui arb.*

XXVI.

Sed objiciat aliquis, cur utamur pontificiis constitutio- nibus, in allegando, & decidendo, sed parata est responsio, uti nos quidem jure canonico, verum quatenus illud æquum,

legitimum, ac cum jure Naturali ac divino congruum, & in quantum illud à nostris Principibus, tacito consensu, longo usu, & consuetudine in his quæ pertinent ad forum & politiam, receptum ac approbatum est. Constitutiones ergo pontificiæ quatenus præcipiunt de rebus politicis ac civilibus, utiles & honestæ. Quatenus vero Impiæ & cum jure Naturali ac Divino pugnantes, rejiciendæ. Oportet enim Deo magis obedire quam hominibus, act. 5. v. 29.

XXVII.

Cum vero ex instituti ratione, satis probatum sit consensum parentum in liberorum nuptiis de iure divino, Naturali, Civili & Canonico omnino necessarium esse; Non ineptæ adeo quæstionis erit. *An nuptiæ sine parentum consensu contraria, irrita, sint?* & irritas eas esse strictum quidem jus suadet §. II. Inst. de Nupt. arg. l. 5. C. de LL. si tamen solenni benedictionis ritu, & copula fuerint consummatæ, ob publicam honestatem & æquitatem non facile rescinduntur c. pen. ext. de cond. opp. Wesenb. in π. ff. de rit. nupt. n. 8. Ex heredari quoque liberos ob contumulum patris consensum posse, si modo turpibus personis se se applicuerint, Nov. 15 cap. 3 §. II. Geil. 2. obs. 95.

XXVIII.

Dictum hactenus est, quæ ad matrimonii perfectionem requirantur jam pauca subiicere lubet; de dissolutione matrimonii. Sicuti autem matrimonium illud proprio non dicitur quod non sit perpetuo cohabitandi animo, ita etiam divorzium illud proprio non dicitur, nisi quod animo perpetuam constituendi separationem sit, l. 3. ff. de divorz. & repud. Solvantur autem nuptiæ seu matrimonium morte, vel inter vivos l. 1. & l. 2. ff. de divorz. & rep. & quidem morte tam naturali, quam civili; Naturali, ut licet parti superstiti ad secunda vota transire, sed non intra annum iunctus l. 1. C. de secun. Nupt. Civili ut captivitate, vel alia contingente servitute l. 8. ff. de capt. & postl. revers. cum tamen peccata juxta Novell. 22. c. 8. hodie conjugia non solvantur.

XXIX.



XXIX.

Est ergo Divortium definiente Schneid in tract. de nup. p. 3. legitima separatio mariti & uxoris , cum causæ cognitione , dicitur autem velia diversitatem mentium, vel quia in diversas partes cunt qui distrahit matrimonium l. 2. ff. de divort. & rep. & l. interdi vortium ff. de verb. sig. Dicitur separatio legitima , neque hæc separatio temere fieri debet, neque alterutra parte non audita , sed cum sufficienti causarum probatione, coram competente judice & seculares, & cap. hist. 33. q. 2. et si uxor fuerit expulsa , ante causæ cognitionem , ante omnia restitui debet , c. sive de conj. 33. quest. 2. c. porro ext. de divort. Nisi notorium fuerit mulierem ipsam adulterium commisisse, tum enim ad eam recipiendam vir cogi nequit ut probatur ex c. significasti, extr. de divort. Alias non facile divortium admittendum est, nisi ob prægnantes causas propter Adulterium scilicet, & malitiosam desertionem Matth. 5. v. 32. & c. 19. v. 8. & 9. quia quos Deus coniunctus homo ne separaret Matt. 19. v. 6. Sed queritur anfacto jam divortio de jure civili parti innocentis nuprias iterum contrahere licet; & respondetur affirmando , arg. l. 8. §. hæc nisi vir §. 4. & 5. C. de repud.

XXX.

Coronidis quasi loco addimus legitimationem, injuste vel illegitime natorum, ut numerū hi, extra patriam potestatem constituti ad eā revertantur; Revertuntur autem duobus ab Imperatore allatis modis §. ult. Inst. de nupt. 1. per oblationem curia l. 3. & l. 9. C. de nat. lib. 2. Per subsequens matrimonium dicto §. Inst. h. t. modo talis sit, cum qua nuptiæ constare possint. §. sui autem 2. Inst. de hered. quæ ab intest. def. Sunt quoque & alii duo modi, quibus non legitime natis succurritur, v. c. per rescriptum principis, quando vel patre mortuo vel eo vivo, deficientibus aliis legitime nat. s. princeps vi summae majestatis succurrit, facitque hoc vel immediate per semetipsū vel mediate per comites palatinos, Ludv. diss. 2. th. 7. Ultimus modus est nominatio filii naturalis, à patre testamento facta, verum, cum nefas sit tot legitimandorum liberorum adminiculis parentum libidines sublevare, recte ille sublatus est ut & ille, quo quis naturales arrogando faciebat suos Peretz. §. ult. ad Inst. de nupt.

Habes ergo benevolē Lector, quæ de presenti materia, pro ingenii ac judicii modulo, tangenda putavi, quæ licet nec præ acuto stylo scripsi sint, nec accurato tuo genio respondeant, bene tamen ut de iis sagias, peto, rogo, obtestor.

F I N I S.



X 2615933

W.M.





